Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26208
Copyright: Admont, Benediktinerstift

138

Iob et Moyses contemporanei inueniuntur. Et quia populus inter hos
tes constitutus auxilio Moysi destituitur. sic ad dominum clamare in
telligitur. Deus in adiutorium meum intende. Qui in oratione postulat.
ut ad promissa dei scilicet ad terram repromissionis sine offensione
hostium currat. Epistola specialiter ad Moysen spectat. in eo loco.
ita ut non possent filii israel intendere in faciem moysi propter gloriam
uultus eius. Populus per Moysen Iosue duce receptus. ideo in GR
dominum benedicit. in alleluia dominum refugium sibi factum astruit. In
euangelio idem populus describitur. qui in lege domini surdus et mutus
dicitur. Postquam Moyses in offertorio precatur ut ab eo furor dei auertatur.
Communio De fructu operum tuorum. laudem populi innotescit. quando
in terra possessa de fructibus soluit. ubi abundantiam panis.
uini et olei habuit. In hac communione laus ab ecclesia deo sol
uitur. quia hoc tempore fructus panis. uini et olei colligitur.
Hec dominica mutuauit officium ab Heliseo propheta. Sama
ria namque ab hostibus obsessa. fame et angustia erat op
pressa. Sed meritis Helisei multitudo hostium fugatur. ciuitas
a periculo liberatur. Qui in obsidione dominum sic inuocat. Respice domine
in testamentum tuum. In oratione postulat. ut populus precepta dei dili
gat. quo eum a periculo eripiat. Epistola insinuat. quod hec propter
transgressionem legis patiatur. Dicit enim. Lex propter transgressionem
posita est. In GR Respice domine dominum inuocat. cum eum rex decol
lari iusserat. quia mulier filium suum ob famem comederat.
In alleluia Venite exultemus domino. dominum laudare monet. quia eis
in crastino omnem habundantiam daturus foret. huius faciem
in confessione peruenirent. qui eos ab hostibus eriperet. In euangelio
homo latrones incidisse. et a samaritano legitur curatus fuisse.